

Johann Sithmann Arnold Kumpsthoff

Exercitatio Iuridica De Exheredatione ...

[Stettin]: Rhetius, 1652


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757111408>


Druck Freier  Zugang





V. K. 2 (165.)





EXERCITATIO JURIDICA
De
EXHEREDATIONE,

54

15

Quam

Divina adjuvante gratia

in Regio Stetinenſi Pædagogio

SUB PRÆSIDIO

Clariffimi, Excellentiffimi & Conſultiffimi

VIRI,

Dn. JOHANNIS *Sichman*/ J. U. D. Stetin.
Juris ibidem Profeſſoris Publici,

Dn. Præceptoris & Promotoris debito obſervantiæ
cultu perpetim colendi,

Publice

ad placidam ſententiarum collationem
proponit

ARNOLDUS *Kumpſthoff*/ Unnenſis Gweſtphalus,
Autor & Reſpondens,

ANNO MDCLII.

in Auditorio majori,

Horis ab octava matutinis,

d. 17. Junii.

Typis JOHANNIS VALENTINI RHETI,
Regii per Pomeraniam typographi.



VIRO

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO
ET CONSULTISSIMO,
Dn. JOHANNI PASCOVIO,
Reipubl. Stetinenfis Consuli meritissimo,
ut & Dicafteriorum Pomeraniæ Advoca-
cato celeberrimo.

U &

VIRIS,

AMPLISSIMO, PRUDENTISSIMO,
ET SPECTATISSIMIS,
Dn. JOHANNI Zilntern / Reipubl.
Stetinenfis Senatori gravissimo.
Dn. JOHANNI Scherenberg / Merca-
tori ac Civi Stetinenfi primario.
Dn. JACOBO HANOTEAU,
Inclutæ civitatis Stetinenfis œnopolæ
celebri.

*Dominis Fautoribus, Promotoribus & respec-
tively Affinibus debita animi observantia suspiciendâ,*

*Exercitationem hanc juridicam, primas nimirum
ingenii sui aristas,
offert & dedicat*

ARNOLDUS KUMPSTHOFF,
A. & R.

I. N. D. N. J. C.

Voscunq; procelloso Juris pelago
videmus cymbā committere, omnes qui
de in id studiose incumbunt, ut sinuosos
flexus præternavigēt, sed iter felici & pa-
ci successu omnes non dirigunt. Multos
enim abducit præcipitantia, ut cursum minentur; an-
tequam vela in altum dederint. Et hi illis avicularum
pullis assimulantur, qui, antequam primæ eruperunt
plumæ, volatui se credunt, aut caprorum fœtibus fron-
te ferientibus, dum adhuc cornua intra callum delite-
scunt. Alii, spirantibus etiam faventissimis Zephy-
ris cum navigare possent, navigare tamen recusant;
obstat enim otii dulcedo, quâ miselli isti capti, cras
cras admodum infelicitè ingeminant. Alii aliud,
& ferme nescio quid obtendunt. Ego, qui carbasa
tandem & ipse [quod felix & faustum velit esse sacro-
sancta trias,] ventis committo, cui parti ascribendus
sim, non exspecto. Inter præcipitantes ingenue no-
men meum profiteor; præsertim in difficillima hac de
exheredatione materia, quam publicæ jam ventilationi
committo. Fateor, me omnia exactè tangere non po-
tuisse. Nihil enim unquam simul effloruit & simul ma-
turuit. Hoc tamen spero, nihilominus æquos me ha-
biturum iudices. Proinde absq; mora vela explicabo.
Adsit proposito divinus favonius.

1. Propositio.

*Exheredatio est liberorum vel parentum
ab hereditate & succedendi jure legitima ex-
clusio.*

A

Exe-

Exegetis.

§. 1. Quod populis quibusdam in more positum comperimus, qui, cum splendidum erexerunt ædificium, in medietate frontispicii vel insignia atavorum, vel marmoris pretiosi frusticulum collocant, ut certo constet prætereuntibus, qui & quales domum inhabitent coloni: idem nos in vestibulo hujus nostri discursus observamus, & priusquam exheredationis leges, ritus atque causas inquireamus, definitionem, tanquam ipsius rei indicem, præmittimus. Verumenimvero, sicuti rosa, nisi à spinis, quæ eam semper ambiunt, repurgetur, nec tangi, nec ad usum transferri potest: ita quoque definitum, si ambiguitates, quibus scatet, non eliminantur, nec recte intelligitur, nec veram nobis generat scientiam.

§. 2. Illud igitur ut præcaveamus, è re nostra censemus, quò brevem etiam & qualemcumque nominis habeamus rationem. Grammatici derivant illud ex *heres*, quod ipsa vocis vis & significatio satis indicat, & nemini, nisi qui oculis conniventibus res procul cernit, dubium esse potest. Hæres autem dicitur ab hærendo, id est, ab arte insidendo. Qui enim hæres est, hæret, hoc est, proximus est ei, cujus est heres. Et eam ipsam ob causam hæreditarii successores dicuntur bonorum paternorum in lucrativis & onerosis *l. nihil est. 24 ff. de V. S. l. hereditas 62 ff. de R. J.* quod tamen quoad onerosa hanc præcipuam recipit limitationem, si quis sine beneficio inventarii factus sit hæres, alioquin eo legitime confecto ultra vires hereditarias nõ hæret, neque tenetur, §. *Sed nostra. 6. instit. de hered. qualis. & differ. l. ult. §. nisi præfatam 4. C. de jur. deliber.* Aut si malimus accipere *ἔπιμολογίας* Beckmani, deducemus ex voce *Hærus*, ut heres sit idem, quod alter *Hærus*, cum post mortem defuncti eadem potestate utatur in bonis, quæ, cum in vivis adhuc esset, possessor, nisi ab hereditate abtineat vel eam repudiet.

§. 3. Quando itaque exheredationis utimur vocabulo, intellectum illud volumus tantum in eo significatu, quò usurpari solet in jure civili, ut nimirum denotet exclusionem à bonis paternis vel liberorum hereditariis, corporales sint, vel incorporales. Amolitur proinde hinc spiritualem exheredationem, quæ
impii

impii dicuntur cœlestibus exterminari divitiis, & in tenebrarum
carcerem detrudi, quam à cœlestibus bonis exclusionem toties
divina resonant oracula, quoties fideles Dei heredes & cohe-
redes Christi prædicantur.

2. Propositio.

*Ad exheredationem liberorum generaliter
tria referimus: Habilitatem Personæ exhere-
dantis; justam causam; justum processum.*

Exegesis.

Quoniam fundamentum, basis, & jus exheredationis to-
rum ex speciali juris provisione pendet; Paterfamilias quidem
omnes omnino liberos, aut heredes instituat, ut se mortuo suc-
cessores & domini bonorum sint, aut exheredes illos nominatim
faciat. *l. 30. ff. de liber. & post. tertium non datur, quia liberi
suo quodam jure hereditatem parentum sibi vendicant, imo
ipsa etiam natura & parentum commune votum ad hos heredi-
tatem devolvit. l. 7. §. 1. ff. de liber. & post. heredib. instit. l. cum
ratio. 7. ff. de bon. damnat. Novell. 1. in. præfat. §. primum itaq; & se-
cundum naturam.* Adeo, si quendam liberorum silentio hodie præ-
teriret, inutiliter testaretur, Testamentum enim, in quo filius-
familias neq; institutus neq; nominatus exheredatus est, ipso
jure nullum reputatur. *l. 1. ff. de injust. rupt. irrit. fact. test. l. ult.
circa finem C. d. lib. præterit.* Nullum namq; est ratione instituti-
onis, quantumvis legata & fideicommissa nihilominus debe-
antur. *Auth. ex causa C. de liber. præter.* quæ desumpta est ab
Irnerio ex Novell. 115. Eadem juris ratione liberis incumbit,
sicubi testamentum eis facere allubet, ut parentes suos exstan-
tes heredes instituant, vel eos ex certis causis, de quibus in Se-
quentibus videbimus, exheredent, *arg. l. non codicillum. 14. C.
de testam. l. si idem. 7. C. de Codicill. Novell. 115 c. 3* quod si enim his-
ce neglectis alios sibi constituant heredes, nulliter testantur,
*Grasf. in §. testament. q. 36. n. 1. æq; sane, sive Pater & Mater fi-
lium vel filiam, vel si Patrem & matrem suam non simpliciter he-
redes*

redes instituunt, sufficit, instituat alter alterum in *competentem legitimam*, quo facto testamentum viribus sustinetur integrum, neq; querela inofficiosi potest impugnari, *l. Papinianus §. §. si quis mortis. 6. ff. de inoffic. testam. l. omnimodo. 30. C. eod. dataq; sic legitima, liberrima in reliquis stat testatoris dispositio.*

3. Propositio.

Habilitas personæ exheredantis presupponit, ut testamenti faciendi jus ipsi non sit denegatum, cum in eo exhereditatio fiat.

Exegesis

§. 1. Præmittitur hic exheredationi jure optimo Titulus de testamentis, ne scrupulus de hac sermocinaturis moveatur, exheredatio namq; sine testamento non competit, omnes namq; qui testamentum facere possunt, exheredare possunt. *Novell. 115. per tot. Harp. part. 1. Diss. 21. thes. 3.*

§. 2. Quinam ergo testari possint, paucis sub incudem revocabimus, & quod commodissime fieri potest, per remotiorem ineptorum testatorum, ut hinc eo melius, quinam testandi & exheredandi jus in se devolverunt, elucescat.

§. 3. Testari prohibentur I. ob status & vitæ conditionem (1) Servus, *l. qui testamento. 20 §. 7. Servus ff. qui testam. fac. poss. l. quod attinet. 42. ff. de R. J.* (2) Filius familias, *l. qui in potestate. 6. 16 19 ff. eod. Ille, quod nihil habeat proprii, & juris civilis communionis, unde formâ sortiuntur testamenta, destituatur. Hic, quia sui juris non est, sive vitam privatam sive publicam degat. Testamentum autem per se juris est publici l. 3. ff. qui testam. fac. poss. Publica autem jura pactis privatorum mutari non possunt, l. 38. ff. de Pact. l. 45. ff. de R. J.* Hæc autem, quæ jura sunt publica, manifestabit discursus. Sive enim suo modo dicatur juris publici testamenti factio, non excluditur eo ipso jus civile, quippe quod est juris publici pars: neq; excludimus jus gentium, scilicet quoad inventionem, omnes namq; populos sana ac recta ratione utentes de rebus suis mortis causa disposuisse, historiis prole-

rium

rium est. Dicta ratione juris, præsertim publici, prohibetur fili-
liusfamilias testari de peculio profectitio, etiam permittente
patre, licet donare mortis causâ possit, l. tam is. 25. § 1. ff. de mort.
caus. donat. testatur etiam filiusfamilias recte in peculio castrensi &
quasi castrensi, pr. Inst. Quib. non est permis. fac. Test. l. qui in potestate 6.
ff. qui testam. facere poss. l. pr. C. cod. Sed an etiam de adventitio,
in quo pater ususfructum non habet? Disputandi causa imus asser-
tum contra plurimos, contrarium tenentes. (3) De statu suo
dubitantes vel errantes l. 14. ff. qui testam. fac. poss. (4) cap-
pti ab hostibus l. 8. 12. ff. cod. Quorum tamen testamenta ante
captivitatem facta fictione juris postliminii valent, licet per se
videantur nulla ac irrita, si Romam seu in orbem Romanum re-
dierint. Tum etiam ex L. Cornelia, si quis apud hostes deces-
sisset, fingitur in ipso captivitatis momento fuisse mortuus, non
enim Romanæ gentis dignitas ac gloria pati poterat civem Ro-
manum mori servum, §. fin. Inst. Quib. non est permis. fac. Testam.
l. lex Cornelia. 12. ff. qui testam. fac. poss.

§. 4. II. Ob defectum iudicii (1) impuberes, l. 2. l. 5. ff. b. t.
Testamentum enim testatio mentis est: quod si vero is, qui
non dum ex ephelis excessit, ad hoc erigendum se accingit, ad
quod integritas mentis, non corporis sanitas exigenda est l. d. 2.
ff. Sicula messis feritur. (4) furiosi, quamdiu scilicet phrenesi ac
furore infestantur l. in adversa. 17. ff. qui testam. fac. poss. l. furiosum.
§. C. cod. Furore tamen per dilucida intervalla intermittente, tes-
tamentum ante furoris calum factum stat, manetque validum,
l. 9. C. d. t. (3) Prodigii, quam cito eis bonis est interdictum, à tes-
tamenti factione abstinere jubentur. l. is, cui lege. 18. in princ. ff.
cod. §. item prodigus. 2. Inst. quibus non est permis. fac. testam. Sunt
autem prodigi, qui neque finem neque tempus expensarum faciunt,
sed bona sua dissipando & dilapidando profundunt, l. 1. ff. de cū-
ratorib. furios.

§. 5. III. Ob vitium corporis (1) naturâ plane muti &
surdi, l. 10. C. qui testam. fac. poss. (2) surdi, muti casu facti, si hi
literas nesciant l. 3. 10. C. cod. licet hi ipsi, qui per accidens ex su-
pervenienti morbo muti, surdi cæciq; facti sunt, testari possint,
quando defectum hunc aliis modis supplet natura⁴ 21 Cod. de
testam.

Confes. l. 6.
Novell. 117.
opp. l. pan. C.
l. 11. et.

+ si scilicet

testam. l. 10. discretis C. qui testam. fac. poss. & Tit. 12. in §. 3. Inst. h. t.
(3) Cæci non possunt, nisi cum solennitate præscripta in *l. hac consultissima. 8. C. qui testam. fac. poss. testari*, quæquam putet Menochius dari casus, quibus cæcus in suo testamento solennitates has ahibere rigoroſe non teneatur, *libr. 4. præſumpt. 6. Vaſq. 3. controvers. c. 103. n. 9. cum ſeqq.*

§. 6. IV. Ob delictum commissum (1) excommunicati, deportati *l. 8. ff. qui testam. fac. poss.* simpliciter capitis damnati, siquidem bona non publicantur, testamenti factionem non amittunt, manent namq; hi rerum suarum domini, adeoq; si testamentum non faciunt, non applicantur bona fisco, sed ad ascendentes & descendentes, imo & ad transversales ad tertium usq; gradum devolvuntur. Auth. *Bona damnatorum C. de bon. proſcriptor.* Bona namq; damnatorum *hodie* non ita faciliter publicantur, quemadmodum olim, sed tantum ob crimen læsæ Majestatis, præſertim si quis de eo vivus adhuc accusatus fuerit, quo casu restringuntur quævis jura antiqua de confiscatione loquentia, nisi forsitan heredes innocentia defuncti defendere ac ostendere sint parati *l. fin. §. fin. ff. de bon. eor. qui ante ſentent. sibi mort. conſcriber.* (2) servi pœnæ, *d. l. 8. §. ult.* (3) hæretici *l. 17. 18. Cod. de hæret.* Quod si tamen quis Pontificiæ Religionis in hisce oris Augustanæ Confessionis testamentum faceret, putarem non inutiliter fuisse testatum, eò quod talis hæreticus testamenti factionem activam habuerit, per Passaviensem transactionem, qua pace religionis fruitur, ideoq; tali testamento vix litem iri motum,

Propositio 4.

Recitantur exheredationis liberorum cause quatuordecim, quas memoria consulens certis versiculis inclusit antiquitas.

Bis septem ex causis exheres filius esto,

Si patem feriat, vel maledicat ei:

Carcere detrusum si negligat, aut furiosum,

Criminis accuset, insidias ve paret:

Si

*Si grave det damnum, nec ab hoste redemerit illum,
Testari prohibet, si det arena locum:
Si pravam sequitur vel amat genitoris amicam,
Non orthodoxus, filia si meretricis.*

Exegetis.

§. 1. Prima exheredationis causa statuitur, si liberi Parentibus manus intulerint: Quo modo enim hereditatis fruentur jure, qui à justa & debita sorte defecerunt, quique æquibus similes, si quando lacte materno ad sacietatem usque turgent, recalcitrantibus, debitam parentibus pietatem à se exulare jubent; hac enim ratione parentum inimici non liberi esse intelliguntur, cum semper honeste cum iis agere deberent, *l. liberto g. ff. de obsequiis parentibus & patron. præstand.* Proinde vindicanda est omnis injuria ultoribus. Si igitur Pater in testamento non fuerit ultor, restat, ut vindictam exerceat in hominem improbum Magistratus, *l. 1. §. si filius. 2 ff. de obseq. parentib. & patron. Novell. 22. 21.*

§. 2. Si maledicta gnatus in parentes evomuit, *d. Novell. 115. c. 3.* §. 2 liberi enim tam jure naturæ prohibentur parentibus ingerere injuriam, *Jul. Clar. lib. 7. 3. sent. Testamentum q. 41. n. 3.* quam jure divino jubentur iisdem & honorem & obedientiam præstare debitam. Ubi tamen notetur, quod hæc Thesis verbalem intelligat injuriam. Ita enim argumentatur Alexand. *consil. 202. lib. 2. n. 1. 2. 3.* dum scribit, quod ipsa verba *d. Novell. 115. c. 3. §. 2.* intelligenda sint in gravi injuria verbali, non de actu vulnerandi aut fustibus cædendi, qui præcedens nempe prima causa de injuria reali concepta est. At nihilominus fustibus æquipatur gravis injuria verborum, præcipue, quæ infertur patri, jure igitur optimo sibi ipsi compedes fabricat, qui in patrem maledicta jacere gaudet, & propterea juxta illud Terentii parentem perrexit dicere, quæ voluit, audire etiam cogitur, quæ non vult, ac exclusionem à paterna hereditate persensit. Quod si vero post injuriam factam filius cum patre sit vere reconciliatus, filiusque melioris frugis honestam vitam sequitur, anne tunc cessabit exhereditatio? æquius puto, si filius turpitudinem suam non repetit.

§ 3.

§. 3. Si parentes in causis criminalibus accusaverint, tum enim, ut liberorum nomine nuncupentur, digni non sunt. Exceptis tamen illis, quæ ad publicam pacem & tranquillitatem spectant, d. Novell. 115. c. 3. §. 3. rem enim privatam prævertit publica, cui sententiæ suffragatur Constantinus Harmenopolus l. 1. Epit. tit. 6. asserens, filium de crimine læsæ majestatis jure rem facere parentem.

§. 4. Si conversationi maleficorum hominum se ingerat & cum illis familiaritatem ineat. Non tamen sufficit ad causam exheredationis, ut in itinere quis aut hospitio triviali inter maleficos forte reperiatur; sed si necessitas & consuetudo familiaris latrocinii vel maleficii inter eos coaluit, sæp. d. Novell. 115. c. 3. Per maleficos autem maxime hic illi indignantur, quos in magicis artibus atque veneficis præstigiis Satan, malignus spiritus, exercet, ut docet Carol. Molin. in Consuetua. Paris. d. tit. 1. §. 30. *quæst. 35 num. 138.*

§. 5. Si vitæ parentum veneno aut alio modo insidias struxerint, d. Novell. 115. c. 3. §. 5. Quod si enim Plato eos morte dignos judicat, qui non quidem ad mortem hominis, sed saltem ad pecorum exitum, veneno scientes atque volentes utuntur: quanto magis exheredatione puniri debet ille, qui deprehensus fuerit veneno interempturus patrem? Est enim talis homo ipsi naturæ peregrinus, l. 6. C. de maleficis & mathemat. imo generis humani inimicus & communis salutis hostis, l. 7. 9. C. eod. propterea non immerito possessione hereditaria privandus.

§. 6. Si concubinam vel novercam patris impuro amore lacescit, d. Novell. 115. c. 3. §. 6. Concubinam enim patris, ne uxorem quidem, licet maxime velit, ducere non potest, l. liberi. 4. de nupt. quanto magis consuetudinem vitare debet, quæ incestuosa est, quam privignus cum noverca exercet, l. nemini 17. C. eod. tit. Vasallus, qui consuetudinem hanc illicitam habet cum uxore Domini, dicitur eum cucurbitare, quasi Dominus habeat cucurbitam loco capitis, ac peponem loco cordis, qui successorem patitur sui matrimonii, propterea privatur Vasallus feudo suo, c. un. in pr. vers. item si fidelis. quib. mod. Feud. amit. 1. F. 5. c. un. §. fin. vers. si concubuerit. de feud. siue culp. non amittend. 2. F. 21 ubi *prolixè FF.*

§. 7.

§. 7. Si parentes detulerint, suaq; delatione grave iis damnū dederint, Novell. 115. c. 3. §. 7. Est enim honestissima, imo divina parentum facies, & honor iis non secus ac Diis exhibendus est, ut constat ex Aristot. l. IX. Etb. c. 2. & l. liberto 9. ff. de obsequiis parentib. & patron. Sedulo itaq; hinc sibi caveant liberi, ne, dum in defensione parentum collocantur, offensæ ansam præbeant.

§. 8. Si pro parentibus carcere inclusis fidejuberè recu-
saverit. Quamvis enim l. 1. & tot. tit. C. ne filius pro patre & c. non cogatur æs alienum patris exsolvere; attamen, ubi parentem in vinculis offendit, omnia potius sustinebit, quam ut patrem sic derelinquat infamem, d. Novell. 115.

§. 9. Si parentes testari prohibuerint, de quo etiam evolvatur l. testamenti. 23. C. de inofficioso testament. hac enim ex causa si postea contingeret, ut testamentū condere possint, merito jure hereditariæ successione privantur, sin minus, tamen hoc non obstante iis tanquam indignis ea auferitur & fisco vindicatur d. Novell. 115. c. 3. §. si convictus 9 & l. 1. ff. si quis aliquem testari prohib. l. 2. C. eod. si vero ex pluribus liberis unus forte patrem testari prohibeat alius, non hoc casu prohibentis portionem capiet fiscus, morigeri filii portione manente salva l. 2. §. 7. ff. si quis aliq. test. prohib.

§. 10. Si absq; parentum suffragio arenariorū vel mimorum collegiis se immiscuerint, l. in arenam. 11. C. inoffic. testament. d. Novell. 115. c. 3. §. si præter 10. Quid enim honestis parentibus accidere ingratus potest, quam si liberos tali consortio interesse audiunt.

§. 11. Si filia vitam luxuriosam & solutam prætulit honesto à parentibus oblato matrimonio, d. Novell. c. 3. §. si alicui 11. l. si filiam. 19. C. de inoff. test. Et licet filia patri oblatas nuptias impune recusare possit, l. cum de pietatis. 18. & filia 20. ff. dict. tit. Attamen si ea intentione solitariam præferunt, ut luxuriose degat, exceptio filia nulla est, quin exheredetur, l. si filiam 19. C. eod. Quid magis est plane, si meretricio more vivat, l. 19. C. de inoffic. testam. Quid si autem pater post 25. filia ætatis annum de honesto matrimonio cupienti non prospexerit, eaq; forte in corpus suum peccaret, propter hoc non est exheredanda: non enim

hodie sicut
damus. ff. de
si exheredetur
lib. vel calli
3. §. 11.

B

fic

ſic filia, ſed parentum venit inculpanda culpa, d. Novell. 115. c. 3.
§. 11. Authent. ſed ſi poſt C. de inoff. teſtam.

§. 12. Si liberi patrem furioſum obſervare detrectave-
rint, ac nullum furioſi patris habuerint curam: jure enim hoſ.
ſanitate recepta, poſſeſſione hereditaria privat pater, qui com-
petentem ſibi curam, cum phreſi infeſtaretur, denegarunt.
Vel ſi hoc morbo vitam inteſtatus clauserit, vel ante filium no-
minatim in teſtamento heredem inſtituetit, filio vero hanc in-
gratitudinem in patrem vel teſtatoſem furioſum committente,
ac alio forſan extraneo furioſi curam habente, tunc filio ut in-
digno aufertur hereditas, & non fiſco, ſed extraneo illi miſeri-
cordi confertur, d. Novell. 115. c. 3. §. 12. & Auth. liberi furioſi. C.
de Epifl. audient.

§. 13. Si liberi patrem captivum non liberarint, d. Novell.
115. c. 3. §. 13. Tum enim, ſi reverſus fuerit, teſtamento condito
ex juſtiſſima ingratitude cauſa liberos tales exheredare pot-
eſt, d. Novell. §. 8. quamquam alias filius vel filia non eſt ob-
ſtricta debita paterna ſolvere Tit. tot. C. Ne filius pro Patr. habent
enim liberi in oneroſa patris hereditate beneficium juris abſten-
tionis vel confectionis inventarii, & ſic non tenentur ultra vi-
res hereditarias, ulterius liberi ratione bonorum maternorum
aliorumq; adventitiorum habent juris beneficium, ne teneantur
creditis patris, hujusmodi enim bona creditis illis non ſunt
ſubjicienda, ſed ab eis ſeparanda, qv eademmodum & peculia ca-
ſtrenſia & quaſi caſtrenſia. Vid. excellentis, ac conſultiſſimi D.
Sithreanni, Præceptoris ac Fautoris mei devenerandi diſputat. de
prioritate ſeu jur. pralat. in concurſu creditor. theſ. 25.

§. 14. Si filium ſuum non orthodoxum conſtitutum ſen-
ſerit parens, Novell. 115. c. 3. §. 14. & C. de heret. & Manich. Ob-
ſervandum autem eſt hoc loco, qv od orthodoxi omnes in
jure dicuntur, qui ſymbola œcumenica, Nicenum, Conſtan-
tinopolitanum, Ephelinum, & Chalcedonenſe, & Apoſtolicum
agnoscunt, etiam ſi in aliis ſeqvioribus deinde diſcrepent. Rit-
terſhus. in comment. Novell. Itaq; non orthodoxi dicendi ſunt illi,
qui nomen ſibi Chriſtianum impoſuerunt, tamen ſe à Chriſtia-
norum fide & communionem ſeparant, & totaliter illa ſan-
cta

Et concilia jam allegata non amplectuntur, juxta l. quicumq. C. de
heret. & d. Novell. 115. c. 3. §. 14. vid. Quæst. 3.

Propositio 5.

*Octo autem numerantur cause, quæ, ut ju-
re justissimo liberi parentes ab hereditate sua ex-
cludere possint, legem fecerunt.*

§ 1. Prima est, si parentes liberos criminaliter accusa-
verint, crimine læsæ majestatis excepto, d. Novell. 115. c. 4. § 1.

§ 2. Si parentes veneno, aut ferro, aut aliis quibusvis
modis liberorum insidias struxerint, d. Novell. 115. c. 4. § 2.
Quamquam enim ea olim polluerunt potestate, ut liberos pro lu-
bitu, & quidem justa causa etiam capite plectere possent, tamen
hodie sublatum est vitæ necisq. jus, l. 3. & l. ult. C. de patr. potest.
patria enim potestas exerceri debet, non atrociter agendo, sed
piam erga sobolem humanitatem exercendo l. Divus. 5. in fin. ff. ad
l. Pomp. de paricid.

§ 3. Si pater stuprum intulerit nurui vel concubinæ filii
d. Novell. 115. c. 4. § 3.

§ 4. Si parentes liberos in rebus illis, in quibus testandi
facultatem habent, nempe in castrensibus vel quasi, &c. testa-
mentum condere prohibuerint, d. c. 4. § 4.

§ 5. Si mater Patri, vel matri Pater veneno aliove modo
struxerint insidias, vel ad interitum, vel ad mentis alienationem,
Tum enim filiis permittitur, nihil in suo testamento illi personæ
relinquere, quæ tale scelus convincitur commisisse, d. c. 4. § 5.

§ 6. Si filium ad insanam mentem redactum curare & nu-
trire neglexerunt, d. c. 4. § 6.

§ 7. Si liberos captivos non redemerint, d. c. § 7.

§ 8. Si parentes fuerint hæretici, d. c. § 8.

Propositio 6.

*Justus processus exheredationis consistit in
quatuor potissimum rebus: Ut exprimatur no-*

B 2

men;

men; Ut fiat pure sine conditione; Ut exheredetur à toto, non à parte: Ut exprimaturs causa.

Exegesis.

§ 1. Primum exheredationis requisitum quod attinet, est, ut expresse & nominatim fiat, *l. 1. a. & 3. ff. de liber. & posthum. initio* & § 1. *Instit. hoc tit. l. 1. in princ. ff. de heredib. instis.* Nominatim autem exheredari intelliguntur, cum ipsorum nomen, cognomen & prænomen ita exprimitur, ut de eo dubitari nequeat *d. l. 1. ff. de liber. & posthum.* quæ tamen non requiruntur cumulative, sed sufficit horum extare unum. Quin & sic nominatim facta dicitur exheredatio, si testator ita pronunciet, licet nullo nomine expresse: Filius meus exheres esto, sed hoc præsupposito, si modo unicus ei sit filius, *d. l. 2. ff. d. tit.*

*no ad p. ful
one. Exhere
veru non
ea vel postu
alr, et mih*

§ 2. Ut pure & simpliciter fiat, non sub conditione, *d. l. 2. § pure. ff. de liber. & posthum.* Cur autem conditionalis exheredatio non valeat, hæc est ratio, quia certo iudicio, respondente Hermogeniano, à parentum successione removendi sunt liberi, sed sub conditione. *18. ff. de bonor. posses. contr. tabul.* At cum quis sub conditione filium ex bonis excludit, is totum factum in fortunæ ludibrium confert, cum conditionalis à fortuna & alieno facto dependere soleat.

§ 3. Ut à totâ hereditate, non à re vel parte certa fiat, *l. cum quidam. 19. ff. de liber. & posth.* Item à toto gradu, si unus tantum sit gradus, fieri debet exheredatio; si plures, ab omnibus, *d. l. 3. § filius. & § seq. ff. d. tit. l. posthumus. 14. § 1. ff. eodem.* Est enim hereditas nomen juris, & universa complectitur defuncti bona, ideoque heres vel heredes debent habere hæc integra, legatis deductis & fidei commissis, vel plane habere nihil, vel solam legitimam, præsertim si sint heredes rectæ lineæ. Nemo enim, excepto milite, pro parte testatus & pro parte intestatus decedere potest, *l. 7. ff. de R. J.*

§ 4. Quartum & ultimum est, ut fiat ex legitima, jureque expressa causa. Nam hæc si observata non fuerint, nullum exheredatis liberis generatur præiudicium, *d. Novell. 115. cap. 3 per tot.* Circa hunc passum rigoroſe est necessarium, ut heres scriptus causam

causam, si eam filius exheredatus neget, probet: causam namque non probatam, inutilis est exhereditatio, & filius ad hereditatem sibi competentem omnijure est admittendus.

QVÆSTIO I.

Num Posthumus exheredari possit?

Negamus de jure novo propter Novell. 115. in princ. cap. d. & § ult. vers. Sive igitur omnes. &c. ubi prohibentur parentes liberos suos quoscunque, sic & posthumos, cum & hi nomine liberorum comprehendantur l. nomine filiarum. 164. ff. de V. S. sine ingratitude causa exheredes in testamento facere. Cum ergo posthumus non possit aliquam ingratitude causa committere, l. si quis. 33. § fin. C. de inoffic. testam. suffragante Excellentissimo ac Consultissimo Dn. Joh. Siehtmanno in Nucleo Juris lib. 2. tit. 13. p. 95. necessario dicendum est, illum exheredari non posse, & testamentum, in quo exheredatus est, ipso jure nullum esse, ut communiter sentiunt Dd. Quamvis contrarium multis aliis placeat JCrts, dicentibus, posthumum, quemadmodum olim, ita & hodie exheredari posse, eandemque thesin nonnullis argumentis fulcire satagent, si tamen ea soli ostendatur æquitati, minus ei deprehenditur consona.

QVÆSTIO II.

An filius, absq; parentum consensu nuptias cum persona alioquin honesta iniens, exheredari possit?

Respondemus, quod hæc olim quidem justa & legitima fuerit exheredationis causa, ut patet ex lege 3. § si emancipatus. ff. de oscant. tabul. Hodie vero, cum Imperator Justinianus in Novella 115. c. 3. certas quasdam exheredationis causas nominatim expresserit, & hæc causa in d. c. 3. non reperiatur, aliud dicendum, præsertim, cum ex utriusque juris textibus patescit, odia non esse interpretatione amplianda, sed potius restringenda, l. si preses 32 & l. interpretatione 42 ff. de penis. Exheredationem autem esse odiosam, constat ex l. cum quidam 19 in fine ff. de liber. & postb. heredib. inst. Quod si vero quis turpem & infamem personam in contemptum familiæ suæ absq; consensu patris duxerit, tum exheredationem ad coercendam contumeliam liberorum

hic

hic locum habere non usq; adeo diffitemur l. 3. § si emancipatus. 5. ff. de bonorum poss. contra tabul. saepe d. Novell. 115 cap. 3. § 4. & 10. quia & hæc res pertinet ad infamiam & dedecus familiæ, adeoq; insignem contemptum & injuriam parentum.

QVÆSTIO III.

An pater reformatæ religionis filium Augustanæ sive Pontificiæ religionis, & contra pater Augustanæ filium Pontificiæ seu reformatæ religionis tanquam hæreticum exheredare possit?

Hæretici quoniam sunt, perpetua inter protestantes & Romanenses lis est: Illi enim à nobis, nos ab illis tali insignimur titulo, ideoq; hæc quæstio affirmative & negative probabilib; ab utraq; parte, argumentis disputari solet. An autem negativa sententia verior videatur ex eo, quod filius non statim haberi debeat hæreticus, si pater in testamento eum hæreseos accusaverit, nisi examen instituendum sit, num quatuor illa sancta Concilia in propositione 4. § 13. allegata amplectatur, vel non, in hoc enim casu demum talis censeri possit, qualem pater dixit, Novell. 115. c. 3. § 14. Sin minus, admitti debeat ac possit ad hereditatem: Quid tandem? Scripturam faciamus regulam Lesbiam ac cynosuram, Spiritum S. supremum judicem & præsidem, quænam doctrina Symbolis dictis consonet, quæve aberret. Breviter: Pontificia & Reformata dissonant & aberrant in multis, Pontificia tamen & Augustana Confessio in Comitii Augustanis Carolo V. oblata accepta & per transactionem Pasaviensem A. C. 1555. confirmata, veriorq; historica & veritatis datur relatio, Reformatam tunc temporis non fuisse receptam, de quo jam fusius loquendi copia non est. Quin vero hodie in pacem religiosam per transactionem Osnabrugensem & Monasteriensem admissa & recepta sit, dubitare non convenit, toti mundo innotescit, neq; de eo dubitare fas est, quod refert Instrumentum Pacis de anno 1648. confirmatum. Hoc præscriptis modis permisum est, ut ab A. ad R. hoc est, ab una ad aliam liber sit transitus, absq; bonorum vel famæ vel honoris jactura ulla, & utriusq; religionis focii vera amicitia & Christiana charitate & mutuâ respectu religionis concordia liberè vivere jubentur. At, quæ esset religi-

onis

*unde vide de
A. C. 1555. ubi
vera præscriptio
per Confessionem
Caroli V. exhibita
hinc an sit*

an's libertas, si ob eam à familia ex hereditate paterna filii excluderentur?

QVÆSTIO IV.

Num adoptivus filius à patre adoptivo æque, ac filius naturalis, institui vel exheredari debeat?

Respondemus, quod durante adoptione à patre adoptivo, si adoptio facta sit non ab extraneo, sed avo paterno vel materno, veluti naturalis instituendus vel exheredandus sit: nam per adoptionem transit in familiam adoptantis, & concurrunt in unam personam & naturalia & adoptionis jura, l. 10. C. de adoptionibus. Hæc autem observanda est differentia inter naturalem & adoptivum, si emancipentur, quod tum nempe hic ab adoptivo patre præteriri potest de jure ff. cum per emancipationem ejus familiam exemptus est, l. 1. § 6. liberos. ff. si tab. testam. nulla extabunt. adeo etiam, ut nomen liberorum amittat, l. 4. ff. d. tit. Ille autem, si testamentum sufficiens debet haberi, necessario heres à patre institui vel exheredari debet. Vid. *Qvæstio seq. 5.*

QVÆSTIO V.

Num hodie emancipati comparentur suis in causa intestati?

Affirmamus de jure novo ab Imperatore Justiniano introducto, quod ostendit, ut nimirum omnes omnino liberi, tam masculi, quam feminae, tam nati, quam posthumi, tam emancipati, quam in potestate existentes, eodem modo vel heredes instituantur vel exheredentur, l. ult. C. de liber. præterit. Cum itaque hodie differentia inter suos & emancipatos omnino sublata sit, tam in successione ex testamento, Novell. 115. c. 3. quam ab intestato, Novell. 118. c. 4. ut videre est in Nucleo juris l. 2. Tit. 19. pag. 108. & libr. 3. tit. 1. pag. 122. Excellentiss. ac consultissimi Dn. Joh. Siethmanni. Satis apertum est jure novissimo, tam suos, quam emancipatos succedere ex jure civili, secundum d. Novell. 118. c. 1. ubi etiam in fine Imperator dicit: Nulla introducenda differentia, si ve masculi si ve feminae sint, seu ex masculorum seu feminarum prole descendanti, si ve suæ potestatis, si ve sub potestate sint constituri, & ita communis Dd. opinio.


QVÆSTIO

QVÆSTIO VI.

An præter 14 causas exheredationis, à Justiniano in d. Novell. 115. positas, ob pares vel etiam graviore exheredatio locum habeat.

Licet difficillima sit quæstio, cum frequentius Doctores passim concludant, fieri id posse, interq; eos Wesenb. in parat. num. 5. ff. de liber. & postb. hered. instit. Schneidewin. 11 15. Fachi. l. 6. controvers. jur. c. 78. Rosenthal in Synopsi feud. cap. 10. conclus. 14. n. 4. Heigius in hoc § num. 17. cum seqq. Befold. in delib. jur. ex l. 5. Pand. c. 2. num. 26 pag. 466. Nos tamen contra illorum sententiam disputandi causa nitimur, nec alias de jure scripto, nisi istas causas in d. Novell. 115. c. 3. allegatas admittrimus, ubi Justinianus perspicue constituit; præter quatuordecim causas istas nulli licere ex alia lege ingratitude causas apponere, nisi quæ in ejusdem constitutionis serie nominatim & expresse continentur: nobis etiam non licet de his, quæ formæ nomine præfinita sunt, quicquam mutare, quamvis major ratio in casu omisso interveniat, l. si pupillorum. 7. § si prætor. 3. ff. de reb. eor. qui sub tutel. vel cura sunt. Nam, qui à forma recedit, nihil agit, l. hac consultissima. 8. C. qui testam. fac. poss. l. si unus. 12. & l. seq. C. de Testam.





*Ad suum per biennium convictorem & per
triennium fere auditorem,*

*Juvenem sibi ob pietatem, modestiam & non fucatum
in discenda virtute & sapientia ardorem
commendatissimum*

J. MICRÆLIUS, D.

Quod jus heredi, si sit probus, & quid in illum
Juris, qui non vult moriger esse patri,
KUMSTHOPI, quæris. Te pulchra hæc quæstio digna est,
Qui frugi & perpes filii in obsequio es.

*Virtus & pietas faciunt, ne filius esse
Debeat exheres. Qui sapit, hoc capiat.*

f.

faventer

PRÆSES.

Exhæredari quis possit, tute requiris
KUMSTHOPI, & variis casibus hocce refers.
Ecce novum casum! Quem tu non forte resolvis
In thesibus, quem nunc eruere ipse rogo.
Est Pater, est unus dives, cui filius unus:
Cui Bona, quæ tenuit, omnia is ipse dedit.
Utitur his natus, sed non ad velle Parentis:
Utq; velit, tamen hoc non aliter poterat;
Omnia dilapidat. Verum pater omne recepit,
Nec tamen, ut caperet filius ista, tulit.

Ex-

Exhæredatus. Nunc tu dic, jure sit ille
Exhæredatus; cujus & ista bona?


**Scrib. benev.*


GEORGIUS KIRSTENIUS,
Med. D. & P.


HAETenus Aonios latices, & orantia castra
Pieridum, solers non es sine laude sequutus
KUMPSTHOPI, jam labra rigas tu fonte Themistæ.
Hoc Minos, justusq; Solon, hoc fonte Lycurgus,
Hoc Decius, Paulusq; vigent, & nomina Cedris
Digna refert, & posteritas hos inserit astris:
Sic sudore paratur honor. Patet omnis eunti
Justitiæ trames: Tu sacra volumina juris
Pervolvis, quærens, exhæredatio quid sit?
Disseris, & doctè. Cæptis his fausta precabor.


Hæc amico suo perquam dilecto
adjecit


JOHAN-PHILIP Langen/
Stet. Pom.











VVLGO DIATO die Klapper-Jagd. 433

§. XI. Quodsi igitur in iudicio petitorio (a) super ipso ita di iure controuersia mouetur, is, cui solum inferior minor, aut media, venatio data est, a nostro uenando se abstinere debet in locis, ubi ferae maioribus. Is autem, qui duntaxat superiori, siue maioribus venatione, tali, vice versa, uti nequit in locis inferioribus, aut mediae, subsistunt. Ratio assequius in promptu est, qui alterius ferae per eiusmodi venationem disturbantur, et in aliena loca extra banerium transfugiunt (b). Non debet autem alteri per

eorum numerus praeter necessitatem non sit augendus, si-
dem id quoque non facile permittitur, ut, praedio, cui
venandi cohaeret, inter plures possessores diuiso, in lo-
vnius iaculatoris, qui ante factam diuisionem fuit, postea
es substituuntur. Vid. Mandata Regis Prussiae d. 9. Maj.
4. d. 10. April. 1709. d. 8. Mart. 1712.

Actiones, quibus partes litigantes in iudicio petitorio ex-
antur, sunt Confessoria et Negatoria utilis.

Audiamus ante, quam ulterius progredimur, ipsosmet ve-
res, quibus potissimum in sua arte credendum est. Huc
me faciunt tria luculenta testimonia, quae sequentibus
s concepta sunt:

Steuer der Wahrheit attestire ich Endes, Unterschriebener
l. Schwarzburgischer Ober-Jörster hiermit auf Begehren,
das so genannte Klappern oder Klapper-Jagen, wenn
nehm.

E